

mixto tantum cum pauperibus in contrahendis ex uno stipite, in contractis vero cum haereticis conversis, etiam in 2 simplici, et mixte, dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

« 4. Dispensandi super impedimento publicae honestatis justitiae ex sponsalibus proveniente.

« 5. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, ac restituendi jus petendi debitum amissum.

« 6. Dispensandi in impedimentis cognationis spiritualis, praeter levantem, et levatum.

« 7. Haec vero dispensationes matrimoniales videlicet 3, 4, 5 et 6 (intellige numero) non concedantur, nisi cum clausula, dummodo mulier raptā non fuerit, et si raptā fuerit, in potestate raptoris non existat, et in dispensationibus hujusmodi declaratur expresse, illas concedi tanquam a sedis apostolicā delegato, ad quem effectum etiam tenor hujusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae, alias nullae sint.

« 8. Dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto tantum provenientibus, excepta ea, quae ex homicidio voluntario contrahitur.

« 9. Dispensandi, et commutandi vota simplicia in alia pia opera, exceptis votis castitatis, et religionis.

« 10. Absolvendi ab omnibus casibus reservatis, etiam in bullā cœnæ, in locis tamē, ubi impune grassantur haereses.

« 11. Delegandi simplicibus sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta, et alia utensilia ad missæ sacrificium necessaria, ubi non intervenit S. Uncio; et reconciliandi ecclesiæ pollutas aqua ab episcopo benedicta, et in casu necessitatis, etiam aqua non benedicta ab episcopo.

« 12. Conferendi ordines extra tempora, et non servatis interstitiis usque ad sacerdotium inclusive.

« 13. Dispensandi super defectu ætatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad sacerdotium, si alias idonei fuerint.

« 14. Consecrandi olea cum quinque saltem sacerdotibus, non tamen extra diem cœnæ Domini; nisi necessitas aliud urget.

« 15. Celebundi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen, ut in prima missa non sumperit ablutionem, per unam horam ante auroram, et aliam post meridiem sine ministro sub dio, et sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi altare sit fractum, vel sine reliquiis sanctorum, et presentibus haereticis, schismaticis, infidelibus, et excommunicatis, et aliter celebrari non possit. Caveat vero, ne prædicta facultate, seu dispensatione celebrandi his aliter, quam ex gravissimis causis, et rarissime utatur, in quo graviter ipsius conscientia oneratur. Quod si hanc eamdem facultatem alteri sacerdoti juxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas ea utendi alicui, qui a sancta sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, serio ipsius conscientiae injungitur, ut paucis duntaxat iis, quam maturioris prudentiae ac zeli, qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, et ad breve tempus eamdem communicet, aut respective causas approbet.

« 16. Deferendi sanctissimum sacramentum occulite ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis in loco tamen decenti, si ab haereticis, aut infidelibus sit periculum sacrilegii.

« 17. Induendi se vestibus sæcularibus, si aliter vel transire ad loca eorum curæ commissa, vel in eis permanere non poterunt.

« 18. Recitandi rosarium, vel alias preces, si breviarium secum deferre non poterunt, vel divinum officium ob aliquod impedimentum recitare non valeant.

« 19. Dispensandi, quando expedire videbitur super usu carnium, ovorum, et lactesciniorum, tempore jejuniorum, et præser-tim quadragesimæ.

« 20. Communicandi has facultates in totum, vel in partem, prout opus esse secundum ejus conscientiam judicaverit, sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus, et præser-tim tempore fuit obitus, ut Sede vacante sit, qui possit supplere, donec sedes apostolica certior facta (quod quamprimum fieri debebit per delegatos, aut per unum ex eis) alio modo provideat.

« 21. Et prædictæ facultates gratis, et sine ulla mercede exerceantur, et ad quadriennium tantum concessæ intelligantur.

« 22. Utendi eisdem facultatibus in civitate, et diocesis Frisingensi tantum.

« Feria quinta die 14 Junii A. 1696.

« In congregacione generali sanctæ Romanae et universalis inquisitionis habita in palatio apostolico ad S. Mariam Majorem coram sanctissimo domino nostro, domino Innocentio XII, ac eminentissimis et reverendissimis dominis S. R. E. cardinalibus, in tota republica christiana contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus a sede apostolica specialiter deputatis.

« Archiepiscopus Ostiensis cardinalis cibo.

« Josephus Bartolus romanæ et universalis inquisitionis notarius.

« Feria quarta die 24 martii 1706, haec facultates, ut antea ad aliud quinquennium revocatae sunt.

« Joseph. Bartolus S. R. E. et universalis inquisitionis notarius. » ADNOTATIO C.

23. *Debent dispensationem in scriptis expeditare, et ibidem quedam necessario exprimere.* — Infertur proin, non sufficere, si oretenus tantum dispensaret episcopus, sed necesse est, ut in scriptis expediatur, scriptæque dispensationi inseratur, I. Potestas, seu facultas delegata. II. Tenor hujus facultatis. III. Tempus quoque se extendat haec facultas, alias enim dispensatio non tantum illicita, sed etiam invalida foret, juxta clausulae verba: alias nullæ sint. Forma dispensationis hujusmodi habetur infra n. 28.

24. *Secus quando pro foro interno dispensant.* — Hoc tamen intellige, si pro foro externo vi quasi privilegiorum aut specialium facultatum præfatarum dispensat; si enim pro foro solo interno ex facultate sibi tacite concessa seu jure ordinario juxta dicta a n. 10, dispensem, id minime requiritur, sed omnino sufficit dispensatio etiam oretenus facta, et indigenti per confessarium, vel alium insinuata.

25. *Super impedimento consanguinitatis et affinitatis vi specialis facultatis dispensant episcopi cum solis pauperibus, super reliquis impedimentis etiam cum aliis.* — Notandum etiam, quod super impedimento consanguinitatis et affinitatis in præfatis gradibus cum solis pauperibus, super reliquis autem impedimentis, videlicet publicæ honestatis, criminis, et cognationis spiritualis, etiam cum aliis dispensare valeat. Patet ex ipso tenore facultatum, utpote quæ pro dispensatione super gradibus consanguinitatis, et affinitatis pro solis pauperibus: super aliis autem impedimentis universaliter datæ sunt,

et consequenter ita intelligendæ veniunt; tum quia privilegia tantum valent, quantum sonant, arg. c. *Recepimus de Privileg.* Tum quia « Verba generalia generaliter sunt intelligenda » c. *Quia circa de Privileg.* præser-tim in materia favorabili; qualis est facultas dispensandi juxta dicenda infra num. seq.

26. *Pauperum nomine qui veniant? Remissive.* — Quæritur V. Quid importet esse in tertio et quarto gradu simplici et mixto? Item qualiter circa hoc intelligi debeat specialiter concessa episcopis Germanie facultas dispensandi cum pauperibus juxta copiam n. 22 allegatam? Præsertim an possint vi illius etiam dispensare in tertio gradu, quando est conjunctus cum secundo, seu in secundo et tertio? Resp. ad hoc quæsitus patebit infra.

27. *Quid importet, esse in tertio, et quarto, simplici, aut mixto? Et qualiter circa hos gradus intelligenda sit dispensandi facultas episcopis specialiter concessa?* Remissive. — Cæterum dispensatio vi privilegiorum pro foro externo episcopo in scriptis concedenda, sequenti, vel simili modo fieri, et expediti potest: v. g. Si quis in tertio consanguinitatis simplici, vel mixto dispensari

28. *Forma dispensationis episcopalis pro foro externo.* — TITULUS. — « Universis, et singulis præsentes visuris, lecturis, et audituris notum facimus, quod cum N. et N. humilime nobis supplicaverint, ut cum eis in tertio consanguinitatis gradu, quo conjuncti existunt, in ordine ad contrahendum matrimonium dispensare clementissime dignare-mur: Nos vero speciali facultate anno, die mensis etc., concessa ad quadriennium du-rante muniti existamus, dispensandi in tertio et quarto, simplici, et mixto, tantum cum pauperibus in contrahendis matrimonii, vi delegatae nobis potestatis apostolicæ allegatae, cum memoratis N. et N. utpote pauperibus, ex causa nobis satis cognita et probata, in Domino dispensamus, et dispensatum declaramus, dummodo mulier non fuerit raptā, vel si raptā fuerit, in raptoris potestate non existat, servatis in reliquo servandis de jure, in quorum fidem etc. Datum, etc. »

29. *Episcopus vi privilegii dispensare non potest sine causa.* — Resp. III. Ut dispensatio episcopi vi privilegii seu facultatis specialiter concessæ valeat, necessario etiam requiri-rit justa causa, adeo ut sine hac dispen-sans non tantum graviter peccet, sed etiam

invalidē agat, et dispensatio in utroque foro sit nulla. Conclusio caret controversia, patetque ex illa universalī doctrina supra jam lib. I, tit. I, § 48, a numer. 478, tradita, videlicet quod dispensatio in lege superioris invalida sit, si fiat absque justa causa, per rationes, et jura ibidem citata.

30. *Quæ causæ pro foro externo sufficiant?* — Quænam autem censeantur, et sint justæ causæ sufficientes ad dispensandum in foro externo, habes infra § 3. num. 69. per totum: quevis enim ex illis sufficit, quod vi specialis facultatis dispensare valeat pro foro externo: nec requiritur magna et urgens necessitas, nec aliæ conditiones, quæ alias requiruntur, ut secluso privilegio dispensare valeat pro solo foro interno super impedimento occulto per dicenda § seq.

31. *Qui petit dispensationem debet allegare causam, et episcopus eam examinare.* — Inferatur, illos, qui dispensationem petunt, debere habere, et exprimere aliquam saltem ex adducendis cit. num. 69. causis, episcopum vero non solum sua attendere, vel aspicere debere privilegia, quibus gaudet, sed etiam examinare causam, et de ejus existentia se informare, antequam dispensationem concedat.

32. *Capitulum sede vacante dispensat pro foro conscientiae super iisdem impedimentis occultis, super quibus episcopus jure ordinario.* — Quæritur VI. An etiam, et qualiter super impedimentis matrimonii jure ecclesiastico dirimentibus dispensare valeat capitulum sede vacante? et vicarius capitularis? Resp. I. Sicut episcopus, ita etiam capitulum sede vacante, et hujus vicarius generalis valide et licite dispensant in memoratis impedimentis, si concurrant requisita numer. 45. allegata, et § seq. magis declaranda Gobath, in *Tract. 7, Theolog. experiment.*, num. 585. Ratio est; quia capitulum sede vacante succedit episcopo in omnibus, quæ sunt jurisdictionis ordinariae (demptis solis casibus in jure specialiter exceptis) potestque in specie dispensare in omnibus casibus, in quibus jure ordinario potest episcopus, prout late dictum est, et probatum habetur lib. III, tit IX, *Ne Sede vacante*, § 2, a numer. 5, et § 3. a numer. 49. Atqui in casibus num. 45 expressis potest episcopus jure ordinario dispensare pro foro conscientiae; cum haec potestas ei competit ratione officii sui pastoralis, ita, ut statim, ac fit episcopus, hoc ipso tacite saltem concessam, et quidem perpetuo duraturam habeat præfamat dis-

pensiandi in foro interno facultatem, nec haec facultas in jure specialiter excepta inventur; ergo.

33. *Non item super quibus episcopus dispensat ex speciali privilegio.* — Resp. II. In illis impedimentis, in quibus juxta dicta a numer. 20, episcopus dispensat ex quasi privilegio (vocamus quasi tale, quia propriæ privilegii non est; cum istud juxta dicens infra, ex natura sua debeat esse perpetuum, quale non est à cultas episcopis Germaniæ concessa, utpote quantum ad certos annos durans) vel speciali facultate sibi generaliter concessa, nullo modo dispensare potest capitulum sede vacante, nec ejus vicarius capitularis. Communis, ac quasi certa. Ratio est, quia capitulum sede vacante non succedit episcopo in iis, quæ episcopo ex facultate, aut privilegio speciali competit; prout amplius declaratum et probatum habetur cit. lib. III, tit. IX, § 3, a numer. 42.

34. *Vicarius generalis episcopi sine speciali mandato nequit dispensare super impedimentis matrimonii occultis in foro interno, super quibus potest episcopus jure ordinario.* — Quæritur VII. An? quando? et quomodo vicarius generalis episcopi dispensare valeat super impedimentis jure ecclesiastico dirimentibus? Resp. I. Vicarius generalis episcopi vi officii sui non potest dispensare super impedimentis dirimentibus in casibus supra num. 45, allegatis, nisi speciale ad id habeat mandatum ab episcopo. Sanchez, lib. II, disp. 40, num. 12; Bosco, *de Matrim.*, disp. 12, sect. 13, Conclus. 3, num. 189; Gutierrez, lib. I, canon. quæst. cap. xix, n. 45; Barbosa, *de Offic. et potest. Episc. alleg.* 54, n. 121, post Glossam communiter receptam, in can. *Quæ de causa*, cau. 2, q. 5, ¶ *Quidquid*, ubi ita argumentatur: « Cum enim dispensatio se habeat instar restitutio in integrum, et restitutio in integrum non delegatur per mandatum generale, » arg. 1. Illud. fl. de Min., ergo nec dispensatio. Ratio ulterior est; quod casus extraordinarii non comprehendantur in generali mandato. Confirmatur a simili in dispensatione pro foro interno in suspensionibus, et irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, quæ dispensatio vi officii non competit vicario generali sine speciali mandato, prout ex concilio Trident. sess. 24, cap. vi, *de Reformat.* diximus lib. I, tit. XXVIII, *de Officio vicarii*, n. 87.

35. *Multo minus super ii; super quibus episcopus ex privilegio dispensat in foro externo.* — Resp. II. Pariter nequit vicarius generalis vi officii sui sine speciali mandato dispensare pro foro externo super impedimentis, super quibus juxta dicta n. 22, episcopus dispensare potest ex quasi privilegio, vel speciali facultate concessa. Unanimis, ac certa. Ratio est, quia controversia caret, vicarium generalem vi officii sui non posse ea, quæ potest episcopus ex solo privilegio, aut facultate specialiter concessa: cum enim in his neque capitulum sede vacante, nec ejus vicarius capitularis succedat episcopo per dicta superius n. 32, multo minus in illis aliquid poterit vicarius generalis episcopi, eo quod potestas vicarii capitularis longe major et amplior sit, quam vicarii generalis episcopi, juxta dicta lib. III, tit. IX, *Ne Sede vacante*, § 3, n. 69.

36. *Episcopus potest vicario generali communicare dispensandi facultatem, quam habet ex privilegio pro utroque foro.* — Resp. III. Potest tamen episcopus suo vicario generali, immo et aliis sacerdotibus idoneis delegare suam potestatem dispensandi super impedimentis matrimonii non tantum illam, quam habet ex quasi privilegio et speciali facultate, juxta dicta supra n. 22, sed etiam illam, quam pro foro conscientiae habet in casibus urgentis necessitatis juxta dicta n. 45. Prima conclusionis pars de potestate competente ex speciali facultate aperte constat ex ipsa forma seu tenore privilegiorum, nam ibi expresse apponi solet clausula: « Communicandi has facultates in toto, vel in partem, etc. » cui patet ex copia n. 22, adducta.

37. *Et quam habet jure ordinario pro foro interno.* — Secunda pars de facultate dispensandi in casu urgentis necessitatis docetur a Sanchez, cit. lib. II, disp. 40, n. 14, eum communi aliorum, quorum plurimos citat Sanchez loc. cit. post Gloss. in c. fin. *de Offic. ordin.* ¶ *Casibus.* Ratio est, quia ea, quæ episcopo vi officii, et potestate ordinaria ac perpetuo competit, delegare potest alteri juxta dicta supra lib. I, tit. XIX, t. II, textu claro, c. *Cum episcopus*. 7, *de Offic. et potestat. delegat.* in 6. Atqui potestas dispensandi super impedimentis dirimentibus vi officii pastoralis jureque ordinario ac perpetuo competit episcopo per dicta a numer. 45, ergo.

38. *Solvitur objectio.* — Nec obstat c. fin.

*de Offic. delegat.* ibi: « Nulli, cui commissum fuerit excommunicare, vel absolvere aliquos, dispensare, etc. liceat haec alteri demandare, quia non sibi jurisdiction, sed certum ministerium potius committitur in hac parte. » Resp. enim, hanc juris dispositionem intelligi debere de casu, quo personæ nudum committitur ministerium; uti patet ex ultimis textus verbis; non ita quando potestas et jurisdiction concessa et annexa habetur ipsi officio, et cum isto ad quemvis successorem transit; prout res se habet in casu nostro.

39. *Confirmatur universalis consuetudine.* — Confirmatur secunda pars conclusionis (præsertim quoad vicarios generales) universalis praxi et consuetudine, qua constat, omnes fere episcopos saltem illos, qui amplias dioceses habent (uti in Germania) delegare vicariis generalibus etiam illam dispensandi potestatem, qua super impedimentis dirimentibus in casu urgentis necessitatis pro foro conscientiae dispensare valent; consuetudo autem est optima legum interpres, c. *Cum dilectus, de Consuetud.* ac etiam in defectu omnium aliorum tribuit jurisdictionem c. *Duo simul. de Offic. ordinar.* et c. *Cum contingat. de Foro competent.* ergo.

40. *Non sufficit generale mandatum ad hoc, ut vicarius generalis dispensare valeat super impedimentis matrimonii.* — Quæritur VIII. Qualiter episcopus facultatem dispensandi super impedimentis matrimonii vicario generali delegare, vel concedere possit, aut debeat ad hoc, ut ea hic secure uti possit? Resp. Quamvis aliqui doctores (inter quos videtur esse Gobath, in *Theolog. experiment.* tract. IX, n. 585) putent sufficere, si episcopus in genere ei committat omnem suam potestatem, dicendo, v. g.: « Do, vel concedo tibi omnem potestatem, et jurisdictionem, quam ego habeo: » vel saltem sic dicat: « Do tibi omnem meam potestatem etiam ad ea, quæ speciale mandatum requirunt, » tamen Garcias, Barbosa, *de Offic. et potest. episc. allegat.* 54, n. 59; Engel, *de Officio vicarii*, n. 10, eoque teste alii communiter docent, hunc modum non sufficere, aut certe non satis securum esse, eo quod talis delegatio, aut concessio censeatur nimis generalis arg. c. *Quid agendum*, 4, *de Procurat.* in 6, adeoque adhuc subintret Reg. 84, Jur. in 6. In generali concessione, etc. prout etiam diximus lib. I, tit. XXVIII, *de Officio vicarii*, § 4, n. 89. Et certe non foret

contentus episcopus, si vicarius generalis ipso inscio conferret alicui pingue parochiam, vel beneficium, etsi prius ei omnem suam delegasset potestatem, illo pluribus quidem solito, minus tamen recto delegandi medo : « Do tibi omnem meam potestatem etiam ad illa, quæ speciale mandatum requirunt; » quod evidens signum est, vi talis clausula generalis, episcopi vicarium generalem non posse omnia, quæ requirunt mandatum speciale.

44. *Sed requiritur speciale : et quomodo?*  
*Observatio practica.* — Volunt proin, et merito præfati doctores, episcopum, qui vult tribuere vicario suo generali omnem suam potestatem, debere saltem aliqua exprimere, quæ requirunt speciale mandatum, addita dein clausula, et omni alia : quod, ubi episcopi aliqui in jure forsan minus experti non faciunt, ipsi vicarii generales urgere, et monere deberent : idque ad vitanda plura nullitatis pericula, et quidem specialiter circa dispensationem impedimentorum; ut pote ex qua semper dependet valor sacramenti matrimonii, adeo, ut, a parte rei nullum foret, consequenter contrahentes in continuis fornicationibus saltem materialibus, et aliis sacramentalibus ad sustinenda matrimonii onera summe necessariis destituti existerent, casu quo hujusmodi concessio generalis n. 39, allegata, jurisdictionem vicario generali non tribueret, prout supra citati doctores volunt. Ad quæ evitanda, et legitimam delegandi formam adhibendam, cum nulla difficultas interveniat, nec labor, nec expensæ requirantur, utique episcopi, vel vicarii generales muneri suo non deerunt. Quid enim facilius episcopo, quam pro dispensatione matrimoniali v. g. sequenti, vel simili delegationis forma uti? « Concedo tibi etiam dispensandi pro foro interno super impedimentis matrimonii in casibus urgentis necessitatis omnem potestatem, quam ego habeo : item etiam pro foro externo in dictis impedimentis dispensandi eamdem potestatem, quam ego ex privilegio, et speciali facultate a Papa habeo : item communico tibi etiam reliquas facultates a Papa mihi specialiter concessas. » Item, quid facilius vicario generali, si episcopus id non observaret, quam illum monere, vel interrogare : « Reverendissime et celsissime domine, estne tuæ celsitudinis intentio mihi etiam dare facultatem dispensandi super impedimentis matrimonii, quæ

celsitudini jure ordinario, et ex privilegio competit? etc. » Hæc, amice lector, non sine causa dicta sunt.

## § II.

### DE CONDITIONIBUS REQUISITIS AD HOC, UT EPISCOPUS, SECLUSO PRIVILEGIO, DISPENSARE VALEAT PRO FORO INTERNO SUPER IMPEDIMENTIS OCCULTIS, JURE ECCLESIASTICO MATRIMONIUM DIRIMENTIBUS.

42. *Status questionis proponitur.* — Uti ex terminis rubricæ patet, non loquimur hic de potestate dispensandi, quæ competit episcopo vi privilegiorum pro foro etiam externo juxta dicta n. 22, sed de ea, quam habet pro solo foro interno urgente necessitate in casibus et impedimentis occultis juxta dicta n. 15, ubi certas ad eam conditiones requiri diximus. Pro quarum majori cognitione specialis ponitur § præsens. Itaque.

43. *Ut episcopus secluso privilegio dispensare valeat, requiritur I. Ut impedimentum sit occultum.* — Quæritur I. An? et qualiter impedimentum beat esse occultum? Resp. I. Omnino requiritur, ut impedimentum sit occultum. Fagnanus, in c. *Nimis. de Filiis Presbyt.* n. 33, Bosco, *de Matrimon.*, disp. 12, sect. 13, n. 137 et seqq.; Barbosa, *de Offic. et potestat. Episc. Allegat.* 24. de Reform., cap. vi, Sanchez, lib. II, *de Matrimon.*, disp. 40, n. 3. cum communis et certa aliorum. Ratio est; quia ideo potissimum dispensare valet episcopus, ut evitetur publicum scandalum ex separatione secuturum, eo quod v. g. jam proles sit concepta, aut unus conjugum solus sciat impedimentum, illudque absque famæ jactura detegere nequeat; vel si alter etiam sciat impedimentum, tamen probare nequit etc. arg. a simili in *Concil. Trident.* sess. 24 de Reformat. cap. vi. Hæc autem ratio cessaret, si impedimentum esset publicum; imo potius esset scandalum, si impedimento existente publico conjuges simul manerent; cum auctoritate publica facile separari possent, et deberent, uti bene observat Fagnanus, loc. cit.

44. *Quando dicatur occultum? Quod quinque tantum sciunt, occultum est.* — Resp. II. Impedimentum tunc censetur occultum, quando vel omnino secretum existit, ita ut nulla ratione probari valeat; vel si quidem

sicut ab uno vel alio, aut tribus vel quatuor, nullum tamen periculum es, quod ulterius publicetur. Sanchez, lib. II, *de Matrim.*, disp. 40, n. 11; Bosco, *de Matrim.*, disp. 12, sect. 13, n. 138; Barbosa, ubi supra n. 11; Henriquez, lib. XII, cap. x, n. 1 et 2, et alii. Ratio est; quia illud de jure adhuc censetur occultum, quod pluribus, quam quinque nondum est notum in aliqua vicinia, collegio, vel parochia, cujus communis decem saltus homines in se continent. Nam, ut ait Glossa communiter recepta in can. *Manifesta.*, cau. 2, q. 4. *Occultum dicitur, quod quinque sciunt, et § Non sunt hæc, de Pænitent. dist. 1. ¶ Secreta.* eadem Glossa probat, « secreta esse, quæ fiunt in praesentia quinque, » prout etiam infra, lib. V, tit. I, magis demonstratur.

45. *Nisi sit periculum publicationis.* — Aditum tamen in conclusione, et nullum periculum est, quod ulterius publicetur; hoc enim ubi rationabiliter timetur, jam episcopus dispensare nequit, etiamsi præter impedimento laborantem, unus tantum, vel duo scirent; quia quandocunque rationabile adest periculum, quod impedimentum evadat publicum, etiam periculum est, quod matrimonium occulta dispensatione valide contractum, majori cum scandalo iterum separari beat; cum dispensatio pro foro interno ab episcopo facta, in foro externo prorsus non attendatur, eaque non obstante matrimonium ab ipso etiam dispensante episcopo separari deberet, casu quo impedimentum evaderet publicum. Bosco, Sanchez, et Barbosa, loc. cit.

46. *Unde debet attendi, quibusnam personis, et quot illorum notum sit impedimentum.* — Hinc in praxi omnino attendi debet, non tantum quot personis, sed etiam qualibus impedimentum sit notum, quia bene fieri potest, ut respectu quinque prudentum, et timientium Deum, qui impedimentum norunt, prorsus nullum sit periculum ulterioris divulgationis, et e contra respectu duorum vel trium, v. g. garrulorum, aut inimicorum, etc. divulgationis periculum revera adesse videatur, præsertim, si etiam aliae circumstantiae tale periculum minentur.

47. *II. Requiritur gravis causa, seu magna necessitas.* — Quæritur II. An? et qualiter requiratur gravis, seu magna necessitas? Resp. Omnino necessaria etiam est gravis causa, seu magna necessitas, qualis esse censetur: si conjuges absque scandalo, vel

sine jactura famæ, vel præjudicio prolis, aut gravi incontinentiæ periculo separari amplius nequeunt; prout plerumque non possunt, si impedimentum provenit ex copula fornicaria prius cum consanguinea conjugis habita; vel si jam adsunt una vel plures proles; vel si invicem ita sint inamorati, ut vel separari prorsus nolint, aut separati sine reditu ad vomitum non manerent; vel si matrimonium in facie Ecclesiæ fuit contractum, et impedimentum ita occultum, ut probari nequeat, consequenter separari, vel ad alias nuptias transire non permittantur etc. Bosco, *de Matrim.*, disp. 12, num. 13; Henriquez, lib. XII, *de Matrim.*; Diana, p. 11, tr. 8, Resolut. 3; Gobath, *in Theolog. Experiment.*, tr. 9, n. 578. cum communis aliorum. Ratio est; quia sicut concurrente una ex dictis necessitatis causis potestas dispensandi censetur tacite concessa episcopo, exigente id munere episcopal, juxta dicta n. 15, sic cessante necessitate eadem potestas censetur episcopo adempta, utpote, qui contra sacros canones dispensare non potest sine magna necessitate vel evidenti utilitate Ecclesiæ; ut fuse ostendit Fagnanus, in c. *Nimis de Filii. Presbyt.* arg. can. *Etsi illa cau. 1. q. 7.* ibi: « Quæ nec ulla necessitas, nec ecclesiastica prorsus extorquet utilitas: » cum concordant. Imo episcopi præ ceteris ad observantiam sacrorum canonum tenentur, qui propterea etiam vocantur custodes canonum, et magistri, can. *Cum quibus*, 36, cau. 24, q. 3.

48. *Nec sufficit quævis causa alias ad dispensandum in foro externo sufficiens.* — Infertur proin, ad hoc, ut episcopus pro foro conscientiæ dispensare in impedimento dirimente valeat, prorsus non sufficere causam quacunque rationabilem tam, ex qua juxta dicenda § seq. Papa, vel etiam episcopus vi privilegii dispensare potest, et solet pro foro externo, sed omnino requiri causam gravem, seu magnam necessitatem.

49. *III. Requiritur urgens necessitas, ita ut ratione illius non possit haberi, vel exspectari dispensatio Romæ.* — Quæritur III. An? et qualiter requiratur urgens necessitas? Resp. Ut dispensare valeat episcopus pro foro interno, non sufficit sola magna necessitas, nisi etiam sit urgens, ita, ut ratione illius nullus, vel difficilissimus recursus ad Papam, aut alium privilegio dispensandi præditum, v. g. nuntium apostolicum pateat; vel periculum sit in mora, Sanchez, *de Matrim.*,